

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 1, Liber 3: De naturalitate et moralitate et pertinentibus ad eas

Commented [CN1]: fol.19ra

De naturalitate et consideratione morali: Rubrica 1

Iob hystoria capitulo 28. Habet argentum venarum suarum principia: et auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur et lapis solutus calore in es vertitur.

In genesi capitulo 8. Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Aristoteles ethicorum libro 6. capitulo 9. et finali. Omnibus videtur singulos morum existere natura aequaliter. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 25. Difficilius sanabilia sunt naturalia factis ex consuetudine. Consuetudo alia consuetudine repercutitur: natura autem in nullo repercutitur.

Oratius in epodo libro i. capitulo 4. Licet superbus ambules pecunia: fortuna non mutat genus. Idem epistolarum libro i. capitulo 12. Naturam mutare pecunia nescit. Epistola 11. Celum non animum mutant qui trans mare currunt.

Tullius de diuinatione libro 2. et finali. Quis non videt et sonos et mores et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos: quod non contingeret si hec non vis et natura gignentium efficeret: sed temperantia lune celiue moderatio.

Seneca de ira libro 2. Naturam mutare difficile est. Idem epistolarum ad lucillum libro 2. capitulo 2. Nulla sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. Quicquid infixum et ingenitum est leuiter arte non vincitur. Quecunque attribuit conditio nascendi et corporis temperantia tamen multum se diuque annis composuerit herebunt.

Ualerius maximus libro 5. titulo de pietate. Doctrina proficit vt pollitiora: non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis quam fingatur.

Maximianus. Quod natura negat reddere nemo potest.

Cassiodorus epistolarum libro 4. capitulo 38. Repugnante natura quelibet cedit industria. Libro 6. capitulo 11. Non coalescunt spersa semina: nisi et terre qualitas fuerit operata.

Commented [CN2]: fol.19rb

Uersificator fabularum esopi 17. fabula. Quod natura negat nemo facilliter audet. Displicet imprudens vnde placere studet.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 3. Quod natura negat: discere nemo potest.

Heinricus samariensis libro i. parte 2. Seminat in spinis nature iura retractans. Garrula diuelli rana pallude nequit.

Iacobus beneuentanus capitulo 25. Ad se cuncta trahit natura: dat atque secundum Morem cuique genus imperiosa suum. Capitulo 46. In natum vicium tollere nemo valet.

Prouerbiū vulgare. De coa daseno non sepo far bon tamixō. El louo mua el pelo: ma l non mua el vezo. Lo el ceruo nasce: dulce herba pasce. La rana non se po trar del palu.

De moralitate: Rubrica 2

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 16. Iuuenes non sunt maligni moris: sed facilis moris: propterea quod nondum viderunt multas nequitias.

Seneca de ira libro 3. Sumuntur a conuersantibus mores. Idem de moribus. Educatio et disciplina mores faciunt.

Lex digeste titulo de conditione institutione 1. filius. Que contra bonos mores sunt nec facem nos posse credendum est.

Ualerius maximus libro 6. titulo de mutatione morum. Lucius sulla vsque ad questure sue comitia vitam libidine vino ludice artis amore inquinatam perduxit. Quapropter 6. marium consulem moleste tulisse traditur quod sibi asperrimum in affrica bellum gerenti tam delicatus questor sorte obuennisset: eiusdem virtus quasi preruptis et disiectis nequitie qua obscidebatur claustris cathenas iugurte iniecit manibus mitridatem compescuit. Sociales belli luctus repressit: et hec ne dominationem fregit. Tenustodis adolescentiam piget attingere: siue patrem aspiciam abdicationis iniungentem notam: siue matrem suspendio finire vitam propter filii turpitudinem coactam: cum omnium **postea** graii sanguinis virorum extiterit: mediumque europe et asie vel spei vel desperationis pignus fuerit: hic enim eum salutis sue patronum habuit: illa vadem victorie assumpsit.

Commented [CN3]: fol.19va

Cassiodorus epistolarum libro 11. capitulo 2. Raro omnium bonum est dominum triumphare de moribus.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Assiduitas mores facit.

Bernardus libro de contemptu mundi: Collige thesaurum: qui gemmas vincit et aurum. Quere bonos mores thesauros interiores.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 3. Usus et mores: seris formantur ab annis.

Montenarius in luna cleri capitulo 59. Qualis conuictus talis formatio morum.

Prouerbiū metricum extraordinem vel vagam. Cum fueris rome: romano viuio more. / Cum fueris alibi: viuio sicut ibi.

De affectibus et motibus animorum: Rubrica 3

In genesi capitulo 4. Sub te erit appetitus peccati: et tu dominaberis illius. Capitulo 8. Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Oratius epistolarum epistola 2. libro i. Animum rege: qui nisi paret Imperat: hunc frenis hunc tu compesce cathenis.

Quintilianus declamationum 9. declamatione. Quicquid rationem vincit affectus est.

Seneca in epistolis ad lucillum: libro 11. capitulo 3. et finali. Facilius est initia affectuum prohibere quam impetum regere. Libro 19. capitulo 10. Imbecillis est primo omnis affectus: deinde ipse se concitat et vires dum procedit parat: excluditur facilius quam expellitur. Quis negat omnes affectus a quodam quasi naturali fluere principio. Idem de remediis fortuitorum capitulo 21. et finali. Facilius reges animum nulla vanitate rerum tumentem. Idem de moribus: Hoc habet omnis affectus: vt **in** quo insanit ceteros furere putet.

Commented [CN4]: fol.19vb

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 2. Affectus nature est non potestatis. Etsi vis quedam nature in omni appetitu sit: tamen idem appetitus rationi subiectus est legi nature ipsius: et obedit ei.

Boetius in musica capitulo i. Ut sese corporis affectus habent: ita etiam pulsus cordis motibus incitantur.

Cassiodorus epistolarum libro 6. capitulo 24. et penultimo. Ratio motus vestros componat.

Gregorius in pastorali capitulo 12. Humanum quidem est in corde tentationem perpeti: demoniacum vero est tentationis certamine in operatione superari.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 3. In initio resiste cogitationi pessime. Si titilat praua cogitatio non consenties illi. Capitulo 4. Primam peccati suggestionem contere: vt non sinas eam in corde tuo manere. Capitulo 21. Cohibe animi motus.

De naturalitate animi circa se et alium: Rubrica 4

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2. scilicet de thalete: Tales qui primus sapiens nominatus est secundum quem septem sapientes vocati sunt: Interrogatus quid difficile: ait: seipsum noscere.

Aristoteles ethicorum libro 5. capitulo 8. Seipsum nullus eligit noscere. Libro 9. capitulo 4. Unusquisque sibi ipsi vult bona. Capitulo 7. Omnis proprium opus diligit magis quam diligatur ab opere animato facto. Capitulo 9. Speculari magis proximos possimus quam nosmetipsos: et illorum actiones quam proprias. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 86. Difficillimum est noscere seipsum. Ipsi quidem nosipsos ex nobisipsis non speculari possumus. Idem rethoricorum libro 3. et finali capitulo 14. Conspicabile magis est quod proprium est negocium eo quod alienum.

Terentius in andria capitulo 10. Uerum illud verbum est vulgo quod dici solet: Omnes sibi malle melius esse quam alteri. In **heautontimerumenon** capitulo 9. Ita comparatam esse hominum naturam: aliena vt melius videant et iudicent quam sua: an eo fit quia in re nostra aut gaudio sumus prepediti nimio aut egritudine.

Commented [CN5]: fol.20ra

Tullius de fine bonorum et malorum libro 5. et finali. Omne animal seipsum diligit. Idem tusculanarum questionum libro i. Non valet tantum animus vt seipsum videat: at vt oculus sic animus se non videns alia cernit. Libro 3. Proprium stultitie est aliorum vitia cernere: obliuisci suorum.

Ouidius in puncto libro 4. et finali epistola i. Quod fecit quisque tuetur opus.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13. capitulo 6. Nemo nisi cum alteri prodest: sibi proficit. Libro 14. capitulo i. Nemo eorum qui in re publica versantur quos vincat: sed a quibus vincatur aspicit: et illis non tam iocundum est multos post se videre: quam graue est aliquem ante se habere. Idem de ira libro 2. Aliena vitia ante oculos habemus: a tergo nostra.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Ad fratris culpam: aquile tu lumina portas: / Ad tua cum scelera: nulla vel orba feras.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo i. Quam proles aliena notant: sua crimina nunquam.

De moralitate circa se et alium: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 27. Laudet te alienus: et non os tuum.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Iniustus eris si alienas iacturas intuitus fueris: et memores teipsum existere hominem.

Aristoteles ethicorum libro 5. capitulo 8. Non est iustitia ad seipsum.

Oratius in sermonibus libro i. sermone 3. Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis: Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. capitulo i. Si vis amari ama. Libro 3. capitulo i. Cum aspexeris: qui te antecedant cogita qui sequantur. Si vis gratus esse aduersus deos et aduersus vitam tuam: cogita quam multos antecesseris. Libro 4. capitulo 8. et finali. Multo ad rem pertinet magis: qualis tibi videaris quam qualis aliis. Libro 6. capitulo 5. Sic cum inferiore viuas quemadmodum tecum superiorem viuere velles.

Lex digestorum titulo quod quisque iuris libro i. Quis aspernabitur idem ius sibi dici quod ipse aliis dixit vel dici efficit. Quod quis in alterius persona equum esse credit id in sua quoque persona valere patiat. Titulo de aqua pluuiam arcenda libro i. §. item ait: Aquam pluuiam prodesse sibi vnusquisque dum alii non nocet non prohibetur. Codicis titulo de iudeis. l. nullus. Iccirco iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta: ne quisque sibipsi permittere valeat vtionem.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Mirans quod nullus amet te ceciliane: / Non quod amas nullum: dilige carus eris. / Nulli carus erat erodinus: et sibi nullus. capitulo 5. Dilige nos omnes: vt ameris ab omnibus vnus.

Commented [CN6]: fol.20rb

Maximianus: Quis suam in alterius condemnet crimine vitam: Et quo ipse tendit claudere certet iter.

Augustinus in epigrammata prosper. Nemo non prius in se quam in alterum peccat.

Cato capitulo 2. Cum te aliquis laudat: iudex tuus esse memento. Plus aliis de te quam tu tibi credere noli. Capitulo 5. et finali. Cum fortuna tuarum rerum tibi displicet ipsi: Alterius specta: quanto sit discrimine peior.

Gregorius in pastorali capitulo 52. Quisque non tam que ab altero tolerat quam que ab ipso tolerantur attendat. Si enim sua que portantur considerat ea que ab altero sustinet leuius portat.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 48. Talis esto aliis: quales optas esse circa te alios. Quod non vis pati: quod non vis fieri tibi: alteri nunquam inferas. Capitulo 50. Iudicium quod aliis impones: ipse portabis.

Ioannes solobriensis anglicus in palicratone libro 5. Traianus optimus imperatorum arguentibus eum amicis quod in omnes nimium et vltra quam imperatorem deceat communis esset: respondit se talem velle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatus optasset.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo i. Quam plures aliena notant: sua crimina nunquam.

Commented [CN7]: fol.20va

Heinricus samariensis libro 2. In te cognoscas alios: magis vtile nil est.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 2. Quam mihi plus aliis non debeo credere de me.

Prouerbiu vulgare: Chi non a muire e speso labate e fere. Ognà carne manga el louo aster dela soa. Pensa daltrui quel che de ti.

De naturali errore circa se et alium: Rubrica 6

Salomon in prouerbiis capitulo 21. Omnis via viri sibi recta videtur.

Aristoteles ethicorum libro 9. capitulo 9. Speculari magis proximos possumus quam nosmetipsos: et illorum actiones quam propria magis.

Terentius in heutontumerumenon capitulo 9. Quod cuicumque inciderit in mentem volet: neque id putabit prauum: an rectum sit quod petet. Ita comparatam esse hominum naturam omnium aliena vt melius videant et iudicent quam sua: an eo sit quod in re nostra aut gaudio sumus prepediti nimio aut egritudine.

Salustius in catilinario: Nulli mortalium iniurie sue parue videntur multi eas grauius equo habuere.

Tullius tusculanarum questionum libro i. Non valet tantum animus vt seipsum videat. at vt oculus sic animus se non videns alia cernit. Mentis acies seipsam intuens nonnunquam ebescit. Libro 3. Proprium stultitie aliorum vitia cernere obliuisci suorum.

Oratius in sermonibus libro i. sermone 3. Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis: Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum.

Quintilianus declamationum 4. declamatione. Humane infirmitatis ista natura est: vt ex omnibus accidentibus grauissimum putet quisque quod patitur. 5. declamatione. Hec omnibus natura est vt sua cuique calamitas precipue misera atque intoleranda videatur.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo i. Nemo se auarum esse intelligit neque cupidum. Idem de ira libro 2. Aliena vitia ante oculos habemus: a tergo nostra. Idem declamationum libro 5. capitulo i. Nemo facile credit quo credito sit dolendum.

Uegecius de re militari libro. 3 titulo 6. Interdum imperita rusticitas plura promittit et credit se scire que nescit.

Lex digestorum titulo qui et a quibus manumittere etc. 1. in fraudem. Sepe de facultatibus suis amplius quam in his est sperant homines.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Ad fratris culpam aquile tu lumine portas: Ad tua cum scelera nulla vel orba feras.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Nemo de se recte potest iudicare.

Prosper sub 93. emp. Nemo sue mentis motus non estimat equos. Quodque volunt homines se bene velle putant.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 4. Uoluntas recta in grauibus passionibus non est.

Bernardus libro de improbatione vitiorum. Quam plures aliena notant sua crimina nunquam.

Prouerbum vulgare. Aseno che non seue caualcre essere.

De diuersitate moralitatum et naturalitatum diuersorum hominum: Rubrica 7

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 2. Multis quidem delectabilia aduersantur adinuicem quia non naturalia sunt. Libro 8. capitulo 3. Unicuique secundum dilectionem sunt proprie actiones. Libro 10. et finali capitulo 6. Uidetur esse vnicuique animali et delectatio propria: quemadmodum et opus. Idem politicorum libro i. capitulo 5. Non idem vnicuique delectabile est secundum naturam: sed altera alteris.

Terentius in formione capitulo 10. Quot homines tot sententie: suus cuique mos.

Oratius in epistolis libro 2. capitulo 3. et finali. Denique non omnes eadem mirantur amantque.

Tullius de natura deorum libro i. Similimis formis dispares formes et moribus figura dissimilis. Idem de fato. In naturis hominum dissimilitudines sunt.

Commented [CN8]: fol.20vb

Ouidius de arte amandi libro i. circa finem: Pectoribus mores tot sunt quot in orbe figure. Idem de remedio amoris libro 2. Tottidem mores tottidemque figure. / Quo tua non possunt offendi pectora facto. / Forsitan hoc alio iudice crimen erit.

Persius satira 5. Mille hominum species: et rerum discolor vsus. Uelle suum cuique est nec voto viuitur vno.

Lex digestorum de arbitris. l. item si vnus. §. si in duos. Naturalis facilitas est hominum ad dissentendum. Titulo ad senatus consul. trebel. l. qui poterat. Uane sunt hominum voluntates.

Uegecius de re militari libro 2. titulo 20 Naturaliter equites a peditibus solent discrepare.

Maximianus. Diuersos diuersa inuuant.

Auctor libelli qui dicitur rudium doctrina libro i. Cuique dari voluit nature prouida cura. Dissimiles vultus animos dissimilesque.

De defectu naturali humane mortalitatis et naturalitatis: Rubrica 8

Psalmista 163. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Quis potest dicere: mundum est cor meum: purus sum a peccato. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Non est homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet.

Regum libro 3. capitulo 8. Non est homo qui non peccet. Idem dicit paralipomenon libro 2. capitulo 6.

Aristoteles methaphisicorum libro 2. capitulo i. Sicut nicticoracum oculi ad lucem diei se habent: sic et anime nostre intellectus ad ea que sunt omnium nature manifestissima.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Beatus vir quando est lapsus verbo ex ore suo. Quis est qui non dereliquerit in lingua sua.

Terentius in eunuco capitulo i. Equum est nos cognoscere atque ignoscere. Que veteres factitarunt: sed faciunt noui. In adelphis capitulo 23. Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit quin rerum etas vsus semper aliquid apportet noui: aliquid moneat vt illa que te scire credas nescias: et que tibi putaueris prima in experiundo repudies.

Catullus libro 5. Omnes fallimur: neque est quisquam quem non in aliqua re videre suffectum possis: suus cuique attributus est error.

Oratius in poetam: Quandoque bonus dormitat homerus: verumopere in longo fas est obripere somnum. Idem in sermonibus libro i. sermone 3. Nam vitiis nemo sine nascitur. optimus ille est: Qui minus arguetur.

Tullius philippicorum libro 11. Cuiusuis hominis est errare. Nullius nisi insipientis in errore perseuerare. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo i. Nihil simplici in genere hominibus expertibus perfectum natura expoluit.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 3. Est autem deus verax: omnis autem homo mendax.

Seneca de remediis fortuitorum capitulo 10. Imbecilles natura sumus.

Plinius de naturali historia libro 7. capitulo 44. Nemo mortalium omnibus horis sapit.

Lex codicorum titulo de vete. iii. enucleando. libro 2. §. siquid autem: Omnium habere memoriam et penitus in nullo peccare diuinitatis potius quam humanitatis est. Lex autenticorum titulo de monachis. §. triennii. humana natura quoddammodo labitur ad delicta. Titulo vt nulli iudicum. § quia vero. Ait imperator nos oportet humani generis infirmitatem protegere.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 5. Sed sine peccato nullum reperire valebis.

Priscianus in prohemio: Nihil ex omni parte perfectum in humanis inuentionibus esse posse credo.

Cecilius firmianus de beata vita libro. 4. Nemo potest esse tam prudens tam circumspectus vt non aliquando labatur.

Cato capitulo 2. Nemo sine crimine viuit.

Cassiodorus epistolarum libro 5. capitulo 4. Nimis rarum est solide loqui: et cui multa dicere suppetunt titubantia non proferre. Libro 11. epistolarum 2. Unus saciare non valet omnium vota.

Gregorius in pastoralibus capitulo 20. Nemo est qui ita viuat vt aliquatenus non delinquat.

Hugo de sancto victore in prohemio compendii philosophie. In humanis quippe inuentis uix aliquid inuenio quod omni prorsus sit expiatum vitio.

Montenarius in luna cleri capitulo 4. Nemo quidem nunquam quantumlibet argus oberrat.

De salute corporis consideratione morali: Rubrica 9

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 4. Desiderabilissimum est sanum esse. Idem rethoricorum libro i. capitulo 5. Corporis virtus est sanitas. Libro 2. capitulo 21. Uiro sanum esse optimum est: vt nobis videtur.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Non est census super censum salutis corporis.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 11. Incolumitas est salutis: tuta atque integra conseruatio.

Iuuenalis libro 4. satiria i. Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.

Commented [CN10]: fol.21va

Cato capitulo 3. Corporis auxilium: medico committe fideli. Sit tibi precipue: quod primum est cura salutis.

De viribus corporis: Rubrica 10

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Manus fortium dominabitur: que autem remissa est tributis seruiet. Capitulo 24. Uir sapientis fortis est: et vir doctus et robustus et validus.

Isocrates in exhortationibus capitula 2. Fortitudo cum prudentia profuit: hac enim sine male lesit habentes: et corpora quidem exercentium venustauit: anime vero solertiam effuscauit. Corpus mediocribus laboribus anima vero studiosis sermonibus augeri nata est.

Aristoteles de anima libro 2. Fortes carne ineptos mente videmus: Molles autem carne bene aptos mente. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Iuuenes viriliores sunt: animosi enim et boni: quorum hic quidem non timere: hic autem audere facit. Est autem in statu corpus a triginta annis vsque ad trigintaquinque: aut vno opus est vsque ad quinquaginta.

Ouidius de remedio amoris libro secundo. Parua necat morsu spaciosum vipera thaurum. A cane non magno sepe tenetur aper. Idem de tristibus libro 4. capitulo 6. Fortior est fulua: nouus lucrator arena / Quam cui sunt tarda: brachia fessa mora. Idem methamorphosi libro 3. Dolor vires adimit. Idem de puncto libro 2. capitulo 7. Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit. Ille etiam vires corpus habere facit.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. epistola i. Stulta est et minime conueniens litterato viro occupatio exercendi lacertos et dilatandi ceruicem ac latera formandi.

Paladius de agricultura capitulo 6. In rebus agrestibus maxime officia inuuenum congruum: impia seniorum.

Cato capitulo i. Nil arbitrio virium feceris. Capitulo 3. Corporis exigui vires contemnere noli. / Consilio pollet: cui vim natura negauit.

Ganfredus in poetria capitulo 33. Uiribus absit: Prorsus habere fidem: mors est qui fortia frangit.

De possibilitate et impossibilitate: Rubrica 11

Aristoteles ethicorum libro 10. et finali capitulo 5. Omnia habentia corpora non possunt continue magis quam operari. Capitulo 8. Speculari possumus continue magis quam operari. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 19. Omnes cum potentes velint agunt. Idem politicorum libro 5. capitulo 7. Que volunt potentes agunt omnes.

Oratius in poetria. Nescit vox missa reuerti.

Tullius philippicorum libro 6. Nolite velle quod fieri non potest. Libro 10. Duas res magnas presertim non modo agere vno tempore: sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest.

Lex digestorum titulo de conditione institutione l. filius: Que facta ledunt pietatem existimationem verecundiam nostram et vt generaliter dixerim que contra bonos mores sunt: nec facere nos posse credendum est.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 3. Duo sunt quibus humanorum actuum constat effectus: voluntas scilicet et potestas: quorum si alterum desit nihil est quod explicari queat.

Commented [CN11]: fol.22ra

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. Nihil potest caro facere: nisi quod voluerit animus.

Auctor libro qui dicitur panphilus capitulo 28. Mitte quod nequit: quere quod esse potest.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 16. et finali. Non cupiat quisquam quod nunquam possit habere. Quod fortuna dedit sufficienter amet.

Prouerbum vulgare: Chi vol morire el repo alcire.

De facilitate et difficultate: Rubrica 12

Psalmista psalmo 9. Cuius maledictione os plenum est: et amaritudine: sub lingua eius labor et dolor.

Isaias propheta capitulo 26. Semita iusti recta est rectus callis iusti ad ambulandum.

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 2. Circa difficilius semper et ars fit et virtus. Idem de memoria et reminiscencia: Sunt magis reminiscibilia quecunque ordinationem habent. Idem economicorum libro i. in fine. Oportet vnumquodque in loco suo poni. Sic enim paratum existens non queretur. Idem rethoricorum libro i. capitulo 10. Facilia sunt quecunque fiunt sine tristitia: vel in modico tempore. Difficile enim determinantur aut tristitia aut multitudine temporis. Idem elentorum libro i. Difficile est simul multa conspiceri. Libro 2. et finali. Prouidere quidem difficile est: per vacationem autem videre facile. Inuento facile est addere.

Terentius in heautontimerumenon capitulo 17. Nulla res est tanta facilis: quin difficilis fiet quam inuitus facias.

Salustius in catalinario: Que quisque facilia factu putat equo animo accipit.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 12. Facile fieri id dicimus quod sine magno aut sine vilo labore sumptu molestia quam breuissimo tempore confici potest: difficile autem fieri quod quamquam laboris sumptus molestie longitudinis indiget: atque omnes: aut plurimas aut maximas causas habet difficultatis: tamen his susceptis difficultatibus compleri atque ad exitum perducere potest. Idem de oratore libro 3. et finali. Facilius est apta dissoluere quam dissipata connectere. Idem super timeum platonis de essentia mundi: Difficillimum est in omni conquisitione rationis exordium.

Commented [CN12]: fol.22rb

Ouidius epistolarum 12. capitulo. Ultimus est aliqua decipere arte labor. Epistola 16. Difficilem culpe suspicor esse viam. De tristibus libro 3. capitulo 11. In causa facili cui ius licet esse dissertur. Et minime vires frangere quassa valent.

Seneca de ira libro 2. Nihil est difficile et arduum quod non humana mens vincat: et in familiaritatem perducatur assidua meditatio. Idem de consolatione ad helbiam: Nihil homini natura quod necessarium faciebat fecit operosum.

Lex autenticorum titulo de monachis. §. scimus. Non facilis est vite mutatio: sed cum magno animi fit labore.

Uegecius de re militari libro i. capitulo 20. Quotidianus vsus non laborat: etsi onerosa gestauerit. Libro 3. titulo 17. Omne opus difficile videtur antequam tentes.

Augustinus in epigramata prosperi 65. epigrama. Difficilia et laboriosa sunt figmenta mendacii: qui autem vult verum dicere: non laborat.

Gualterius de castellione alexandreidos 8. libro. O quam difficile visu sors prouehit actus. Lubrica mortales: et quos ascendere fecit: Quam facile euerit: magno fortuna labore.

Mattheus vindocinensis in poetria: parte 2. et finali capitulo 8. Leuius est inferre vulnera quam sanare.

Gaufridus in poetria capitulo 30. Facti grauitas cuicumque volenti. Est leuis et leuitas animo cuicumque rebeli. Est grauis.

Ricardus iudex venusinus: Est labor in labiis mendacia composituris. Uera locuturis non labor vllus inest.

Montanarius in luna cleri: Leuiter fit quicquid amatur.

De consuetudine: Rubrica 13

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo i. Nullum natura existentium aliter assuescit. Libro 7. capitulo 11. Consuetudo nature assimilatur. Libro 10. et finali capitulo 8. et finali. Non possibile vel non facile ex antiquo consuetudinibus comprehensa: sermonem transformare. Idem de memoria et reminiscentia: Antiquum in natura iam tamquam consuetudo est. Consuetudo est altera natura. Idem rethoricorum libro i. capitulo 20. Similis est consuetudo nature: Prope enim quod sepe ei quod semper est. est autem natura eius quod semper: consuetudo autem eius quod sepe. Quod consuetum est delectabile est. Capitulo 21. Omnes consueta obseruant. Libro 2. capitulo 12. Quod antiquum est prope videtur ei quod secundum naturam est. Idem polliticorum libro 7. capitulo 12. et finali. Expedit et ad frigora consuescere ex paruis pueris: hoc enim et ad sanitatem et ad bellicas actiones maxime proficit. Omnia quecunque possibile assuescere mox inchoantibus melius assuescere. Idem problematum parte 19. Consuetum delectabile est magis inconsueto. 28. parte. Magnum quiddam est consuetudo singulis natura enim vtique fit. Idem methaphisicorum libro 2. capitulo 3. Consuetum notius est.

Tullius tusculanarum questionum libro i. Qui in compedibus corporis semper fuerunt: etiam cum soluti sunt: tardi ingrediuntur. Libro 2. Consuetudo laborum: perpensionem dolorum efficit faciliorem. Ferre laborem: contemnere vulnus consuetudo docet. Consuetudinis magna vis est.

Commented [CN13]: fol.22va

Ouidius de arte amandi: libro 2. Fac tibi consuescat: nil assuetudine maius.

Iuuenalis libro 3. satira i. Consuetudo mali tenet insanabile.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Mens assueta malo firmius heret ei. Capitulo 4. Mollibus assuetus loricam ferre recusat. Ceruici tenere ferrea cassis obest. Sepius vncta manus capulo non accipit ensem. Lota et fota cutis frigore et imbre dolet.

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo 9. Difficile est prauam consuetudinem vincere. Prauus vsus vix aboletur. Assidua consuetudo in naturam conuertitur. Ad peccatum consuetudo restringit. 16. capitulo et finali. Uulnus interatum tardius sanatur. Libro 2. capitulo 41. Usus difficile vincitur. Consuetudinis vincula vix soluuntur. Assiduitas mores facit. Iugis vsus in naturam severtit. Omnia vsui cedunt: vsui omnia parent. Quod cum difficultate ceperis: per vsum cum facilitate perficies.

Mattheus vindocinensis in poetria parte i. capitulo 6. Consuetudo sapit naturam: testa saporis / Quem noua concepit: immemor esse negat. Capitulo 12. Est graue consueto vitiis desuescere. vergit / Noxius ad solite noxietatis iter. / Pullulat in speciem nature concolor vsus. / Et quasi nature filius esse potest.

Iacobus benuentanus capitulo 46. Non est res habilis morem depellere corde. Est radix cuius inueterata diu. Hec connexa diu mos et natura videntur Defacili dirimi: nec reor ista valent. Capitulo 48. Res est dura nimis vsum depellere longum. Radix euelli non valet alta bene.

Montenarius in luna cleri capitulo 82. Auget non minuit mala consuetudo reatum.

De crebritate seu frequentia et raritate vsus rerum: Rubrica 14

Valerius maximus libro 2. titulo i. Quicquid in excelso fastigio positum est habituali et trita consuetudine quod sit venerabilius vacuum esse conuenit.

Plinius de naturali hystoria libro 12. capitulo 19. Nulla est voluptas que non assiduitate sui fastidium pariat.

Ouidius de ponto libro 2. capitulo 7. Percusso crebro saxa cauantur aquis. Libro 4. et finali capitulo 10. Gutta cauat lapidem consumitur anulus vsu. Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Iuuenalis libro 4. satira 2. Uoluptates commendat rarior vsus.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Uilia diuitibus notum est plerumque placere. / Non quod sint vilia: sed quia rara bone. / Sic plerumque premit praeciosa frequentior vsus.

Cassiodorus epistolarum libro 8. capitulo 20. Bonum insolitum plus amatur.

Uersificator fabularum esopi 22. fabula. Omne boni precium nimio vilescit in vsu.

Henricus samariensis libro i. parte i. Omne quod est crebrum nimio vilescit in vsu. Omne quod est rarum carius esse solet.

Commented [CN14]: fol.22vb

Commented [CN15]: fol.23ra

Montenarius in luna cleri capitulo 65. Omne quod rarum: se crebro carius ipso.

Prouerbiu vulgare. Tanto tona chel pione. Tanto ruspa caura che mal zase. Tanto pigoza el pigozo che la brusca ge caze en loio.

De raris naturaliter: Rubrica 15

Aristoteles polyticorum libro 3. capitulo 5. Opulenti quidem pauci: egeni autem multi vbique.

Tullius de fine bonorum et malorum libro 2. In omni arte vel studio vel quauis scientia vel in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est. Idem rethoricorum artis veteris: libro 2. capitulo 5. Que rara et ardua sunt ea experimendo pulchra et iocunda hominibus videntur. Idem de amicitia: Uere amicie difficile reperiuntur in his qui honoribus reipublice versantur.

Iuuenalis libro 5. et finali satira i. Rari quippe boni numero sunt vix totidem quot tebarum porte vel diuitis ostia tulli.

Lex autenica titulo de consulibus. §. itaque causa. In his que raro fiunt miraculum est.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Sed modo perfectus rarus amicus adest.

De nouitatibus: Rubrica 16

Seneca declamationum seu ciuiliu causarum libro 4. in prohemio. Ad noua homines concurrunt ad noua conueniunt. Idem de naturalibus questionibus: libro 5. Naturale est magis noua quam magna mirari.

Plinius de naturali hystoria libro 12. capitulo 2. Est natura hominum nouitatis auida.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 38. Primordia cuncta pauida sunt: et aliter timiditas non tollitur nisi cum rebus necessariis nouitas arrogatur. Libro 3. capitulo 17. Non sit nouitas molesta que proba est. Libro 11. capitulo 2. Semper nouitas incerta tentatur.

Commented [CN16]: fol.23rb

De iuuenum moralitate et naturalitate: Rubrica 17

Salomon in prouerbiis capitulo 30. Penitus ignoro viam viri in adolescentia sua. Idem in ecclesiaste capitulo 10. Uhe tibi terra cuius rex puer est.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 17. Iuuenes sunt concupiscitiui: et quales facere quecunque concupiscunt. Iuuenes sectatores sunt earum concupiscentiarum que circa venerea. Iuuenes faciles sunt permutabiles: et cito saturabiles ad concupiscentias: et vehementer quod concupiscunt: celeriter autem desistunt. Acute sunt voluntates iuuenum: et non magno impetu et minores sunt ire. Iuuenes amatores sunt honoris maxime autem amatores victoriae: excellentiam enim concupiscit iuuentus: victoria autem excellentia quedam: et ambo hec magis quam amatores pecuniarum. Iuuenes minime sunt amatores pecuniarum: propterea quod nondum

indigentia experti sunt. Iuuenes non sunt maligni moris sed facili moris propterea quod nondum viderunt multas nequitas. Iuuenes sunt facile credituri: propterea quod nondum in multis decepti sunt. Iuuenes bone spei sunt. Iuuenes propterea quod non in multis repulsam passi sunt: viuunt secundum plurima spei: spes quod futuri est: memoria autem preteriti: iuuenibus aut quod quidem futurum multum: preteritum autem breue. Iuuenes facile seductibiles sunt: sperant enim facile. Iuuenes viriliores sunt: animosi enim et bone spei: quorum hec quidem non timere hoc autem audere facit: neque enim iratus vllus timet: sperare aliquod ausibile est. Iuuenes erubescitui sunt. Iuuenes magnanimi sunt: a vita enim mundum humiliati sunt: sed necessariorum inexperti sunt: et magnificare seipsum in magnis magnanimitas est: hoc autem eius qui bone spei. Iuuenes eligunt agere honesta quam conferentia. Iuuenes sunt amatores amicitie et amici: et amatores sodalium magis quam aliarum etatum: quia gaudent in conuiuendo. Iuuenes omnia valde agunt: amant enim valde: et odiunt valde: et omnia alia similiter. Iuuenes scire omnia putant: et affirmant. Inuenes miseratiui sunt: quia omnes bonos et meliores arbitrantur: sua enim innocentia proximos mensurant. quare indigna pati existimant ipsos. Iuuenes sunt amatores risus propter quod et eutrapeli: eutrapelia autem erudita contumelia est. Sunt iuuenes quidem viriles et intemperati: senex autem intemperati et formidolosi. Idem ethicorum libro i. capitulo i. Differt nihil iuuenis secundum etatem aut secundum morem iuuenilem. Libro 4. capitulo 9. Laudamus quidem inuuenem verecundum: senem autem nullus vtique laudabit: quoniam verecundabilis. Libro 6. capitulo 5. Iuuenes non videntur fieri prudentes. Causa autem quoniam in singularium est prudentia que fit cognita experientia. Iuuenis autem expertus non est: multitudo autem temporis faciet experientiam. Libro 8. capitulo 4. Fiunt iuuenes amici cito: senes autem non. Idem politicorum libro 7. capitulo 6. Aptum natum est potentiam quidem in iunioribus: prudentiam autem in senioribus esse. Libro 8. et finali capitulo 2. Iuuenes propter etatem indelectabile nihil sufferunt volentes.

Terentius in ecira capitulo 8. Pueri inter sese quam pro leuibus noxiis iras gerunt.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 2. capitulo 2. Uerecundia in adolescente bonum signum est. Idem de ira libro 2. Quo plus indulgetur pupillo quo plus licet corruptior fit. Idem tragediarum in thieste capitulo 3. Peiora iuuenes facile precepta audiunt. In troade capitulo 4. Iuuenile vitium est regere non posse impetum.

Stattius thebaidos libro 6. O iuuenes seruare animos audumque furorem.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 3. Gaudia semper amat et ludrica verba iuuentus.

Bertrandus iconomica capitulo 20. Male sedet in iuene vina cognoscere.

De senum moralitate et naturalitate: Rubrica 18

Iob hystoria capitulo 12. In antiquis est sapientia: et in multo tempore prudentia.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 16. Senes quia multis annis vixerunt: et in pluribus decepti fuerunt et peccauerunt: et plurima praua sunt negotiorum non affirmant aliquid: minus autem valde omnia quam oportet et putant: sciunt autem et nihil et dubie sentiantes apponunt

Commented [CN17]: fol.23va

Commented [CN18]: fol.23vb

semper quasi et forte et omnia dicunt ita: fixe autem nihil. Senes rariores sunt: est enim rareia in deterius existimare omnia. Senes male suspitiosi sunt propter incredulitatem. Senes increduli sunt propter experientiam. Senes neque amant valde neque odiunt propter experientiam: sed secundum biantis adiectionem: et amant vt odituri: et odiunt vt amaturi. Senes sunt pusillanimes: quia humiliati sunt a vita. Senes illiberales sunt: vnum enim aliquid necessariorum est ex substantia: simul autem propter experientiam. sciunt enim quod difficile est possedis: et facile abiicere. Senes formidolosi sunt: et omnia pertinentes: contrarie enim dispositionis inuuenibus: in frigidati enim sunt: hi autem callidi: quare viam preparauit senectus formidini: etenim in frigidatio quedam est. Senes difficilis spei sunt propter experientiam: plura enim eorum que fiunt mala sunt: eueniunt enim multa in deterius. Senes seruiunt lucro. Idem ethicorum libro 4. capitulo 9. Senem vtique nullus laudabit: quoniam verecundabilis. Libro 8. capitulo 4. Senes non fiunt amici cito. Idem polliticorum libro 2. capitulo 6. Est quemadmodum et corporis et mentis senectus. Libro 7. capitulo 6. Aptum natum est potentiam quidem in iunioribus: Prudentiam autem in senioribus esse.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 25. Tres species odiuit anima mea: pauperem superbum: diuitem mendacem: et senem fatuum et insensatum. Corona senum multa peritia.

Terentius in adelphis capitulo 22. Solum vnum hoc vitium senectus affert omnibus attentiores sumus ad rem omnes quam sit est. Capitulo 26. Uitium commune omnium est quod nimium ad rem in senectam attenti sumus.

Oratius in epistolis libro 2. capitulo 3. et finali. Leuior et melior sis accedente senecta.

Tullius tusculanarum questionum libro i. Prudentiam vt cetera auferat aufert certe senectus.

Commented [CN19]: fol.24ra

Paulus apostolus epistula i. ad timotheum capitulo 5. Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem.

Seneca epistularum ad lucillum: libro 5. capitulo 4. Turpe est seni aut conspicienti senectutem ex commentario sapere.

Cassiodorus epistolarum libro 8. epistola 9. Senes ipsi consiliis sapientiam discunt. Idem de anima capitulo 8. Corporalibus sensibus quietis profundius aliquid firmiter tractamus hinc est quod etate maturi melius sapere iudicantur: quia senescentibus membris et corporalibus sensibus emollitis pro maxima parte in consilium transeunt: vbi dum mens amplius occupatur robustior virtutis adunatione efficitur: sed interim desipiunt cum nimia debilitate deponuntur: quoniam datum est animal ad tempus suorum sequi corporum necessitates.

Prouerbum vulgare. Can vechio no lara endarno.